

*Verum aliis aliisque distinemur laboribus. Utcunque tamen scholia ipsa primum ab experientia et curis nostris prodeant, in lucem sane proferri merentur; quum et sensum maxima parte sat clarum exhibeant, et nominibus ac fragmentis auctorum hactenus ignoratis abundant.*

*HIERONYMUS AMATIUS.*

Haec illi de codice et scholiis, quae non mutata ex codice illo exhibuit Amatius, edidit auctor editionis Euripidis Glasguensis anni 1821. et repetivit LDindorfius in edit. Eurip. Teubneriana, in margine nonnullis emendatis. Et fragmenta quidem poetarum etiam aliorum acumen exercuerunt: nemo vero hactenus tota scholia emendare sustinuit. Id quatenus vires permittebant conatus sum, neque vero dubito quin alii, qui post me tractaverint, multa rectius possint constituere. Ceterum monendum est, me nunquam reliquisse editionem Glasguensem celato lectore, nisi in accentibus et interpunctione, quae, ubi non referret, non annotavi mutata. Reliqua in margine leguntur. Neque vero ei, qui fidem meam examinaturus sit, Lipsiensi utendum est editione, sed Glasguensi. Nam invito LDindorfio nonnulla menda irrepserunt. Ita versu 36. lin. 3. ed. Dind. falso *κυλλήνης* exhibetur, editio Glasguensis praebet *κυλήνης*; vs. 360. lin. penult. Dind. *οἰνοπλανήτας*, ed. Glasg. *οἰνοπλανήτοις*; vs. 430. lin. 2. Dind. *τῷ πέλανος*, ed. Glasg. *τό*, quod ego quoque neglexi annotare; denique vs. 494. lin. 2. Dind. *τὰ εἰς ον* habet, ed. Glasg. *τὰ εἰς ων*, et vs. 789. lin. 2. Dind. *γενόμενον*, ed. Glasg. *γινόμενον*.

Haec annotanda videbantur, non quae exprobrarem LDindorfio, diligentiam enim vel maximam talia fugiunt, sed ne iis, qui editione Glasguensi non uterentur, negligentior fuisse viderer. Ceterum dubitari licet, an fuerit idem codex, ex quo Siebenkeesius Harlesio prologum Rhesi, primo editum a Valckenario, suppeditavit. Verba Harlesii haec sunt in Fabricii bibl. Gr. T. ii. praef. p. 18. „Cod. Vaticanus chartaceus n. cccvi. continet Euripidis Rhesum”. Itidem incertum est, utrum variae lectiones Vaticani, quas Barnes. alibi ex schedis Cottonianis commemorat, ex hoc fluxerint codice necne. V. Elmsl. ad Med. p. xi. Sed id asseverare ausim, eum codicem Vaticanum, quo usus est Andreas Schottus cuiusque lectiones cum in Observationibus humanis, tum in Observationibus poeticis, quos libros frustra in bibliothecis Berolinensibus quaesivi, cum lecturis communicavit, eundem esse cum eo, ex quo scholia fluxerunt. Id quod docere videtur nota Barnesii ad vs. 710. „Andreas autem Schottus Observat. poet. l. 2. c. 43. ad hos versus: *Ὅς εἰς Ἀθηνᾶς σηκὸν εἴναγχος μολὼν Κλέϊας ἄγαλμα ναῦς ἐπ’ Ἀργείων φέρει*: Non, inquit, servatus hic temporum ordo ab Euripide; post haec enim gesta Palladium Ulysses abstulit. Quae prorsus consentiunt cum iis, quae ad eundem versum (489. nostr. ed.) in scholiis Vaticanis leguntur. Quare cum constet cognitum habuisse Schottum codicem aliquem Vaticanum, facilis est coniectura eundem fuisse atque eum, qui hodie inter Vaticanos principatum tenet. Maxime vero ido-